

ENVMERATIO LIBRORVM GALENI.

De anatomia parua liber, maximè deridendus, paulùm excedēs dimidiā chartam. Contineat autem anatomen porci, matricis & cerebri.

De anatomia uiuorum liber, diuisus in capita 42. in quo multa uera & Galeno digna cōtinentur: sed tamen longè ab eo differens, quem Galenus aēdere proposuerat, ut uiri doctissimi iudicant. chartæ sunt sex cum tribus quadrantibus. Citatur in hoc libro interdum Galenus: & uocabula quædam barbara insunt.

De anatomia oculorum liber, Nicolao Rhegio interprete. Implet chartam dimidiā. Apparet ex Galeni libris excerptum esse, sed parum diligenter.

De compagine membrorum, siue de natura humana, liber: qui partim uera, partim derida aliquid uidetur continere. Est autem anatomicus, de sensuum organis alijs & partibus aliquot, & embryo ac spermate differens.

De uirtutibus tribus, nostrum corpus dispensantibus, (animali, uitali & naturali,) ex Galeni libris fragmentum, minus quadrante chartæ. Vide supra in mentione libri de causis respirationis inter Physiologicos.

De uoce & anhelitu, & partibus corporis ad has functiones pertinentibus, capita quatuor: libellus angustior charta 1. ex qua eius paruitate apparet aliud esse uolumen, quod Galenus in libro de libris proprijs, de uoce accurate à se conscriptum ad Boethum libris quatuor testatur. Vix detur tamen quibusdam hīc quoq; ex Galeni libris ad Arabes peruenisse.

De utilitate respirationis liber, paulò maior charta cum quadrante. Insunt in eo multa uera, sed magna ex parte Aristotelica.

Compendium pulsuum, liber ieūnus, sed non omnino rei ciendus, chartam dimidiā partim excedēs: unde subit mirari quod Iacobus Syluius scribit, Compendiū pulsuum in ueteri uersione inscriptum, uideri esse Epitomen illam, cuius in Therapeuticis libris meminit, in libros de pulsib: xvi. ab eo conditam, Græcē desideratam.

De motib. corporis manifestis (uel liquidis) & obscuris liber, quem Ioannitus de Græca lingua in Arabicam transtulit: Marcus autem Toletanus de Arabicā in Latinam. Chartæ sunt duæ cum dimidiā: in quibus agitur de motu respirationis, uirgæ, linguæ, deuorandi, uomendi, egerendi, palpebrarum, & pectoris in tussi: item de risu & sternutatione. Galenus quidem in libro de muscularum dissectione testatur se scriptisse librum de motibus obscuris: qui an hīc ipse sit, considerandum. Scatet hīc quidem mendis, sed interpretis (ut apparet) culpa. multa in eo Galeni doctrinam sapiunt, licet quædam quoq; insint, ab eius dicendi consuetudine aliena.

De dissolutione continua corporis humani: & de natura alimentorum, quibus quod effluxerit restituitur. Videntur autem pleraq; ex libris de alimentis, & libro de bonitate & prauitate succorum, in hunc librum ab aliquo longè post Galeni tempora esse coniecta: inept & absurdī non nihil. Chartæ sunt duæ.

De aquis liber, ex Galeno & alijs præstatiſſimis medicis, Aug. Gadaldino interprete. Sunt autem capita sex Oribasij, ex libro v. Collectionum medicinalium ad Iulianum Imperatorem (ex primo, secundo, tertio & quarto capitibus.) Quadrans chartæ est, cum octaua parte. Idem libellus in prioribus editionibus de bonitate aquæ inscriptus, mutilus legebatur.

De uinis ex Galeno, caput sextum, libri quinti Collectionum medicinalium Oribasij ad Iulianum imperatorem, Aug. Gadaldino interprete. Libellus paulò minor dimidiā charta.

Præfigum experientia confirmatū, Ge. Valla interprete. Libellus constans duobus quadrantibus cum octaua parte chartæ: imitatur quidem ueros Galeni libros, sed ieūna admodū oratione. In capita diuiditur quinq;: quorum quartum & longissimum, ē libro Galeni de curandi ratione per sanguinis missionem, totum fere extractum est.

De urinæ significatiōne ex Hippocrate libellus, breuior charta dimidiā, Ge. Valla interprete. Eundē Iosephus Struthius tr. Nulla quidē methodo Hippoc. & Galeni uerba in eo exscribunt.

De simplicib; medicamentis ad Paternianum liber, diuisus in capita 299. Cum stirpes & que ex eis sunt, tum fossilia comprehendens, ordine alphabeti Latini, ita ut & de scriptiones & uires singulorum breuiter tradantur, chartis sex & dimidia. Videntur autem superflius ac inutilis, ea maxime ratione, quod hæc doctrina in proprijs Galeni libris uerior & clarior habeatur. Vocabula multa insunt corrupta, & Arabicā quædam.

De Cētaurij (minoris) uirib. libellus, (parū excedēs chartā dimidiā,) Nic. Regino interprete.

De catharticis libellus, paulò maior tribus chartæ quadrantibus: corruptus, & adhibitis ueris libris cum iudicio legendus: quanquam Iac. Syluius maxima sui parte optimum esse scribit. Non solum autem tractat de ijs quæ uentrē purgant & subducunt: sed alijs etiam pharmacis quoſcumque meatus purgantibus & euacuantibus, ut uomitu: item per aures, nares, pulmonem, splenem, renes, uesicam, uterum, sudores.

De gynæceis, id est, passionibus mulierum libellus, ieūnus & angustus (uix chartam medium implens) non tamen negligendus, ut Iac. Syluius uidetur.

Liber secretorum remediorum ad Monteium, chartis tribus & dimidia fere comprehensus.

CATALOGVS SECUNDVS, SIVE

Author singit se Galenum in præfatione, & librum de compositione medicamentorum secundū locos tanquam suum citat: in quo aliorum remedīa solum descripsit in hoc uero libro propria se expositum promittit. Sed Galenī non esse facile apparet ex uocabulis barbaris & Arabicis, quibus refertus est liber, & remediorum authorumq; nominib; recentiorib; & ipso libri fine, ubi hæc leguntur uerba: Hoc est quod inuenimus ex libro religiosorum Galeni. Verū ut Galenī hic liber non est, ita non omnino inutiliter legi potest. Is quidem quem in simplicibus medic. aliquoties promittit Galenus, de medicamentis à totius substantiæ similitudine agentibus, quæ secreta ulgo uocamus, non extat.

De medicinis expertis liber, cui titulus est Medicinalis experimentatio, non malus, si iudiciū & rationem lector adhibeat. Chartæ sunt duæ cum dimidia. Continet autem experimenta Empiricorum quorundam, quorum nomina nobis obscura sunt, ut Astaronis, Agargei, Catilinæ, Azariconis, Geronis, Betarnem, &c. Barbaræ & Arabicæ uoces plurimæ insunt: Propter quas, & Barbara authorum nomina, &c. non est uerisimile hunc esse Galeni fœtum, cuius à se conditi *τριπλημπαρια* titulo, meminit in libro de libris proprijs.

De melancholia, ex Galeno, Rufo & Posidonio, caput nonum libri sexti Aetij, Iulio Martiano Rota interprete, libellus angustior charta una. Galenus quidem in suo eiusdē tituli libro, mox ab initio laudat Rufi de Melancholia librum.

De cura icteri libellus optimus, lac. Sylvio teste, minor charta dimidia. Multa in eo uera, & ex authoribus doctis exscripta sunt.

De cura lapidis (renum & uescicæ, & incōtinentia urinæ, &c.) liber authoris Arabis, cuius nomen à principio libri ponitur, sic: Alguazir Albuleizor filius Abumelech Filuzer, Imperatori Saracenorū Anly filio Joseph, filij Resaphin, de curatione lapidis. Utilia autem etiam hæc esse possunt, quæ hic Arabs scripsit, si cum iudicio legantur. Charta est dimidia cum octaua parte.

Quæsita in Hippocratem, de urinarū significationibus, libellus angustior charta dimidia, sunt autem pleraq; desumpta ex prognosticorum & aphorismorum commentarijs, sed iejunè.

LIBRI SPVRII PRORSVS A TYPOGRAPHIS reieci doctorum medicorum consilio: & quamobrem.

De iuuamentis membrorum libri, ueluti compendia sunt librorum de usu partium, ut in prologo ueteri in libros de usu partium patet legēti. H̄i quia uix semilatini sunt in ueteri uersione, & in libris de usu partium melius copiosius' que exposita repetunt, qui cum alijs excuderentur non digni sunt uisi.

Libellus de præsagitura, qui & in ueteri translatione, & rursus ex Ge. Vallæ translatione legitur, quoniam (siue totus, siue aliqua ex parte) sumptus est ex libro Galenī de constitutione artis medicæ, uel, ut alij scribunt, eiusdem finis est, idcirco omissus est.

De Commoditatib; theriacæ inscriptus ab indoctioribus liber, fragmentum libri est de theriaca ad Pisonem.

Reperitur & de substantia uirtutum animalium seu de sequela potentiarū animæ liber, in ueteri uersione, ut alicubi legisse mihi videor: qui an typis adhuc excusus sit, nescio. Galenī librū de 46. plantis habemus, cum commento Humain, teste Gentili. Mihi de hoc nondum cōstat: fuerit autem procul dubio pseudographus aliquis liber: is forte de quo Galenus, Hermæ Aegyptio (inquit) attribuitur quidam liber, cōtinens herbas sacras 36. horoscoporum: ex quo Pamphilus aquilam dictam herbam commemorat. Sic ille, addens hæc omnia nugas esse, & ab authore ex cogitata, nec usquam in natura extare herbas illas 36. Ego apud Aggregatorem sāpe inuenio Thessalum quendam citatum: qui herbis nomina à zodiaci signis indit. Talia quædam puto etiam Kiranides habet, &c.

CATALOGVS SECUNDVS

CON. GESNERO AVTHORE.

IN quo enumerantur ordine alphabetico scriptores, qui Galeni libros quoquo modo illustrarunt, interpretando, commentarijs, annotationibus, scholijs, paraphrasib; problematis, enantiomatis, epitomis, indicibus, tabulis, etc. Quoniam enim huiusmodi scriptorum magna discrimina sunt: quid ac quantum quisq; præstiterit, quoad eius rescire haec tenus mihi licuit, singulatim exposui: ut quos t̄t̄ quot numero GALENI libros quisq; trāstulerit, aut aliter illustrārit, statim appareat. Singulis etiam plerunq; patriam, seculum, t̄t̄ alia quædam adscriptis: t̄t̄ singulorum libri, præsertim qui cum integris GALENI operib; (quæ Venetijs, Basileæ, aut Lugduni excusa sunt, intra annos fere XXX. haec tenus, ab anno 1530. usq; ad annum 1562.) non habentur, ubi locorum & quanto an-

no Do-

MEDICINÆ INSTAVRAT. NOMENCLATOR.

no Domini sint publicati, expressimus. Qui de nonnullis minus recentibus inter hæc scriptis, eorumque authoribus plura nosse uoluerit, Bibliothecam nostram adeat.



ETIVS Amidenus, Opisci comes, in libris illis x vi. quibus uniuersam ferè rem medicam cōplexus est, cum ex multis alijs medicinæ scriptoribus multa, tum plurima ex Galeni libris est mutuatus, & ueluti compendio quodam multa scriptorū eius repetit. Primo quidem & secundo libro statim quæcunque de medicamentis & alimentis habet, omnia Galeni sunt.

Alguazir Albuleizor filius Abumelech Filuzer, imperatori Saracenorum Anly, filio Iosephi, filij Resaphin, de curatione lapidis: Hoc titulo liber inter spurios Galeni habetur.

Aloisius Mundella Brixianus, philosophus ac medicus omnigena eruditione præstans, omnes genuinos Galeni libros in compendia quædam sententiarum redegit, easque ordine alphabetico digessit, Theatri titulo: ita ut Compendij simul artificiosissimi in omnes Galeni libros, & Indicis locupletissimi, rerum, sententiarum & dictionum, ordine quærentibus commodissimo, usum impleat. Hoc uolumen Basileæ, anno 1563. proditurum speramus ex officina Frobeniana, medicinæ simul ac philosophie studiosis omnibus longè gratissimum utilissimumque futurum. Quin & in spurios & falso attributos Galeno libros, simile compendium cōfecit: quod Theatro in genuinas forte subiectiendum curabit. Eiusdem liber epistolarum medicinalium Basileæ impressus anno 1543. in 4. apud Isingrinium, inter cætera, Galeni quædam loca illustrat. Eiusdem dialogi medicinale decem, in quibus multa tum artis theorematum, tum historiæ curationum præcipue, explicantur, excusi sunt Tiguri apud Froschouerum anno 1551.

Aloisij Trissini Vicentini medici Problematum medicinalium ex Galeni sententia libri sex, euulgati Basileæ ab Isingrinio anno 1546. in 8. chartis xiij. cum dimidia. Obijt author annos natus xxv. Collegit autem & alia quædam ex operibus Galeni, quæ nondum edita puto, & forsitan imperfecta. Claruit Ferrariæ circa annum 1542. ubi philosophiam publicè docuit.

Andreas Lacuna Secobiensis miles S. Petri, & Iulij 111. Pontif. max. medicus, anno Domini 1548. edidit Epitomen operum præcipuorum Galeni omnium in quatuor partes digestam, quæ uniuersam eius doctrinam cōpleteatur per singulos libros. Pars prima libros Isagogicos aliquot continet, & Physiologicos. Secunda, quæ ad sanitatem tuendam & morborum cognitionem spectant. Tertia omnes differentias morborum, generalemque medendi methodum ambit. Quarta historiæ omnium medicamentorum simplicitatque compositorum tradit. Mich. Isingrinus excudit Basileæ anno 1551. in folio. Chartis centum sexaginta duabus cum dimidia. His addidit libellum de ponderib. ac mensuris, quæ partim ex Galeni & aliorum libris excerptum, partim ex observationib. proprijs cōdedit, trib. chartæ quadrantibus. Et uitæ Galeni, ex Hier. Gemusæ & aliorum scriptis, sequecharta fere. Deinde Annotationes in Galeni interpretes, quorū ipse translationibus usus est ad Graeca exemplaria à se collatis: quib. (inquit) uarij loci, in quos hactenus impegerunt lectors, & explicantur, & summa fide restituuntur, chartis octo cum quadrante. Postremo index copiosus rerum memorabilium omniū, (diligentissime cōfectus ab ipso authore, ex Annotationib. illis, quas paſsim marginib. librorum adiecit, quæ scholiorum, uel argumentorum potius uice sunt,) chartis uiginti octo cum dimidia. Summa omniū chartæ ducentæ & una. Idem Compendij Rouillius etiam Lugduni excudit in 16. anno 1543. Quoniam uero in hac Epitome Galeni in Hippocratis libros, Cōmentarios nō attigit, ut etiā libellos cōtra Lycū & Julianū, p Hippocrate scriptos, seorsim postea edidit Epitomē omniū rerum & sententiarum, quæ annotatu dignæ in Commentarijs Galeni in Hippocrate, et libellis contra Lycum & Julianum extant in Elenchū alphabeticū digestā, (collatis prius ab eo exēplarib. Latinis cū Græcis) cui accessere nōnulla Galeni Enatiomata, eodē Lacuna authore. Gul. Rouillius excudebat Lugduni 1554. in 8. chartis triginta. ¶ Attributū Galeno librū philosophicæ historiæ Latinū fecit. Edidit & anatomicam methodum iā olim iuuenis, in qua secutum se ait, Hippocratem, Galenum, Celsum, &c. Obijt, ut audio, non ita pridem, anno 1560.

Andreas Thurinus Pisciensis Pauli 111. pontifici maximis medicus, scripsit Hippocratis & Galeni defensionem de causis dierum criticorum, aduersus Hieronymū Fracastorium. Libellus impressus est Bononiæ, anno 1543. in 4. chartis tribus.

Andreas Vesalius Bruxellensis edidit de humani corporis fabrica libros septem, cum elegan- tissimis figuris. In his aut suis doctissimis & accuratissimis libris, innumera Galeni loca explicat, illustrat, emendat: et multa eius errata arguit, plurima à se primū inuēta prodit, uir propter summam in re anatomica peritiam diligentiamque incōparabilis nec unquā satis laudatus. Opus prodijt Basileæ primū ex officina lo. Oporini, anno 1543. in magno folio, chartis 177. & rursus anno 1554. ab authore recognitum & auctum. Eiusdem suorū de humani corporis fabrica librorū Epitome, Latinè & Germanicè, excusa est ibidē in folio cum figuris. Scripsit aduersus eū in de- fensionē Galeni quædā lac. Syluius: cui respondit Renatus Henerus, de quo infra. Extat & Andreæ Vesalij Epistola, qua anatomica sua scripta defendit, impressa Basileę cum prolixa eius epi- stola illa, quærationem docet propinandi radicis Chynę decocti. Idem Vesalius olim Latinam



CATALOGVS SECUNDVS, SIVE

interpretationem nouem librorum Galeni de anatomicis administrationibus emendauit: sicut
& Ant. Fortoli translationem libri de uenarum arteriarum dissectione.

Antonius Fortolus Ioseriensis tr. de uenarum arteriarum dissectione librum: quem postea
Andr. Vesalius ut alij castigarunt. item de neruorum dissectione.

Antonius Musa Brasavolus medicus Ferrarensis nominatissimus, edidit in Aphorismos Hippocratis cum commentarijs Galeni, Commentaria & Annotationes: de quibus plura leges supra, in Aphorismorum mentione, Catalogo primo. Eiusdem index alphabeticus in omnes Galeni libros summi germanos, tum spurios, longe copiosissimus, cum secunda editione operum Galeni ex officina luntarum proditum Venetis anno 1550. in magno folio, chartis ducetis septuaginta quatuor.

In huius indicis prefatione lac. Antonius Bonus Ferrarensis medicus, omnes Antonij Musae philosophicas tum medicas lucubrationes enumeras, quorum bona pars iam in lucem prodierit, reliqui autem brevi sunt prodituri: inter alia commemorat etiam Commentaria eius in Aphorismos Hippocratis, ab authore recognita: item in prognostica, in libros de ratione uictus in morbis acutis, in libros Epidemiorum.

Augustinus Riccus Lucensis medicus, aliquot Galeni libros Latinitate donauit, qui reperiuntur in editione operum Galeni, quae Venetis impressa sunt anno 1541. in octo classes digesta, in 8. repurgataq; ab innumeris mendis, industria doctissimorum medicorum Victoris Trincauelij & Augustini Ricci. Ea quidem editione Andr. Lacuna quoq; ad suam Epitomen usus est: in qua translatos ab Aug. Ricco libros, qui sequuntur, inuenio: De sectis ad eos qui introducuntur. De optima corporis constitutione. De optimo corporis habitu. De septimestri partu. De atrabili. De tumoribus praeter naturam. De typis. De ptisana. Consilium pueri comitiali morbo laboranti. Puto & annotationes in aliorum quorundam translationes ipsum dedisse. nam de morborum ac symptomatum differentijs & causis libros Gul. Copo interprete, Rouillius excudit Lugduni, anno 1550. recognitas ex annotationibus Augustini Ricci, &c.

Augustinus Gadaldinus Mutinensis medicus, de omnibus Galeni & antiquae medicinae studiis optimè meritus, cum ipse multa Galeni interpretatus est, tum plurimas aliorum interpretationes recognouit, praeter doctrinam & diligentiam suam antiquis exemplarib. Græcis in plerisque adiutus. Praefuit idem omnib. fere Galeni operib. in primis in prima luntarum editione, ubi conferendo, castigando atq; illustrando, nullis incommodis unquam aut laboribus pepercit. Idem in tertia luntarum editione, in plurimis libris magnam opem tulit. nam aliquot ex ijs cum Græcis probatis codicibus contulit & castigauit: reliquorum uero quam plurima loca cum Græcis pariter emendatis conferendo, quæ mendosa erant, ad suam integratem reduxit: quæ uero obscura, studiose illustravit. testis est qui editioni illi præfuit lac. Antonius Mariscotus Florentinus Physicus. In eadem editione scholia quædam dedit super illo secundi Epidemiorum textu de angina ex luxatione agente, &c. Libri, quorum ipse interpres est, hi sunt: Sermo aduersus Empiricos medicos. De muscularum dissectione. De neruorum dissectione. De uocalium instrumentorum dissectione fragmentum. Fragmentum ex quatuor commentarijs, quos Galenus inscripsit. De ijs quæ medice dicta sunt in Platonis Timæo. De presagijs ex insomnijs sumendis. De ponderibus et mensuris. De typis. De marasmo. De hirudinibus, derivatione, reuulsione, cucurbitulis & scarificatione, ex Oribasio. Librum primum Therapeuticorum ad Glauconem, cum Stephani Atheniensis philosophi explanationibus. De aquis capita vi. Oribasij, ex Galeno & alijs. De uinis caput eiusdem Oribasij, ex Galeno. ¶ Haec quidem interpretatus est, recognouit autem in Galeni operum editione secunda, ex officina luntarum Venetis publicata, primam & quartam classem. Ita autem (inquit) abundauimus antiquis codicib. Græcis, ut ad unius libri emendationem, quatuor aliquando ac quinq; exemplaria manuscripta habuerimus: & loca quidem innumerabilia castigauimus, quorum nullum in margine extat indicium. Cæterum praeter libros primæ classis, qui omnes physiologici sunt: & tertiae, qui signa tradunt, alij etiā ab eo recogniti sunt, ut Ars medicinalis Nic. Leoniceno interprete. De differentijs & causis morborum symptomatumq; libri. De simplicium medicamentorum facultatib. libri à Theodorico Gerardo tr. De compositione medicamentorum secundum genera, Io. Guinterio interprete. De curandi ratione per sanguinis missiōnem, Theodorico Gerardo interprete. De medendi methodo libri à Thoma Linacro tr. De arte curativa ad Glauconem, Nic. Leoniceno interprete. Commentarij quatuor in libros Hippocratis de uictus ratione in morbis acutis, à Io. Vasseo tr. Commentarij in Aphorismos Hippocratis, Nic. Leoniceno interprete.

Bartolemæus Syluanus tr. Definitiones medicas, (que postea recognite sunt ex codicū ueteri collatione, & plurimis in locis auctæ.) Item de cōstitutione artis medicæ librū. De atrabile. De substâlia facultatū naturaliū. Quod animi mores corporis temperaturâ sequâtur. De plenitudine seu multitudine: qui liber postea ad uetusissimi codicis Græci quibusdam in locis restitutus est.

Bernardus Bertrandus Reginus librum de humoribus Latinitate donauit, & adnotaciones adiecit in margine: inq; fine libri tabellam, quæ totius rei summa capita cōpletebitur, Samuel Emel excudit Argentinæ anno 1558.

MEDICINÆ INSTAVRAT. NOMENCLATOR.

Bernardus Donatus Veronensis tr. librum primum de cognoscendis curandisq; animi morbis, quas perturbationes Latini appellant.

Bassianus Landus, excellentissimus hoc tempore rei medicæ professor Patauij, iuuenis adhuc scripsit dialogos ij. quorum prior methodum cognoscendi morbos complectitur, alter curandi. Edidit & de humana historiâ libros ij. in quibus circa singulari hominis partii cognitionem, & optimis Latinorū authorib. usitatas nomenclaturas, accommodat se non solū medicis, sed alijs etiā lectoribus liberaliter institutis, &c. Vtruncq; librū Oporinus Basileę impressit circa annum 1543.

Conradus Gesnerus Tigurinus libellum Galeno attributum de succidaneis siue substituēdis medicamentis, transtulit, & scholijs illustravit. Brevis denotatio dogmatum Hippocratis, ex sermone 99. Io. Stobæi, authore Galeno, eodem interprete. Idem iuuenis exercitij causa edidit Compendia librorum de Compositione medicamentorum secundum locos, particularibus remedijs plerisq; omissis: & similiter librorum de Compositione medicamentorum secundum genera. Præfert autem in eosdem libros Epitomas And. Lacunę, quas ille maturiori ætate conscripsit. Idem Syluulam experimentorum Galeni collegit, quę impressa est Tiguri à Froschouero anno 1541. unā cum compendio librorum de compositione med. secundum locos, & Compendio ex Actuarij librīs de urinis. Plerosq; omnes etiā Galeni libros in capita distinxit, & argumentis illustravit, in secunda Galeni operum editione ex officina Frobeniana, anno 1549.

Christophorus Heyl Vuisbadensis interpretatus est librum Galeno adscriptum de renum affectuum dignotione atq; medela: quem primum impressit Cratader Basileæ anno 1533. Idem edit artificiale medicationem, quę constat paraphrasis in Galeni librum de artis medicæ constitutione. Impressa est Moguntiæ anno 1534. in 4.

Demetrius Græcus quidam librum falsò adscriptum Galeno de oculis Therapeuticam tr.

Desiderius Erasmus Roterodamus Latinitate donauit, Ad bonas artes exhortationem, De optimo docendi genere librum, & quod optimus medicus sit etiam philosophus. Quos omnes Cratander impressit Basileæ anno 1529.

Dominicus Montesaurus, doctissimus hac ætate philosophus ac medicus Veronæ, tr. librum de tremore, palpitatione, conuulsione & rigore. Idem librum de comate secundum Hippocratis sententiam, ex Græco exemplari & antiqua uersione restituit.

Dominicus Bucius Coemignolius medicus Pedemontanus, scripsit Quesita medicinalia 4. iuxta Hipp. Galeniq; sententiam discussa. Sebast. Barptol. Honoratus impressit Lug. in 16. an. 1355.

Donatus Antonius ab Altomari medicus ac philosophus Neapolitanus eodidit Artē medicam de medēdis humani corporis malis à capite ad pedes: quę ex secūda editiōe auctiōr prodijt Venetijs an. 1558. in 4. chartis 81. Princípio libri scribit se morborū singulorū dignotiones, prognostica & curationes cōscriptisse hoc in opere, rationabili uia, & Gal. Methodo, post eum hucusq; intacta, à nulloq; absoluta: & primo quidem capite Mēthodum curandū universalem explicat: in sequētibus, de singulis differit. Authores passim citat, ex Græcis Hippocratem, Galenum, Oribasium, Aetium, Paulum, & Trallianum. ex Latinis, Celsum, Cælium Aurelianum, Pliniū secundum, & Marcellum Empiricum. Audio quidem à plurimis doctrina & iudicio excellentibus uiris hunc librum magnopere commendari.

Drusianus Italus, Thaddei medici quondam discipulus, circa annum Dom. 1300. scripsit Cōment. in artem paruam Galeni perquam argutum ac subtilem, unde à nōnullis inepte plusquam Commentator uocatus est. Idem cum in factitanda medicina infelicior esset, ordinem Carthusienium ingressus uarios argumenti sacri tractatus conscripsit. Multos eius errores in Galeno interpre tanto refellit innominatus author Antisophistæ pro Nic. Leoniceno scripti.

Ferdinandus Balamius Siculus tr. libros de ossibus, de optima corporis cōstitutione de bona habitudine, de cibis boni & mali succi. Ex his aliqui Basileæ primum (quod sciam) impressi sunt à Cratandro circa annum Domini 1535. & postea Venetijs cum integris Galeni operibus, 1556. recogniti per Aug. Gadaldinum.

Franciscus Valleriola medicus nostro seculo præclarus, natione Hispanus (ut audio) Galeni libros de morbis & symptomatis, doctissimis Commentarijs illustravit, qui impressi sunt Lugduni anno 1540. in quarto, & posteà rursus, nescio quando, ab authore, ut fertur, recogniti. Horum Commentariorum locos aliquot cum medici quidam non indocti notassent, Responsionum librum 1. edidit, quo illos explicat ac defendit: qui inuulgatus est Lugduni apud Gryphium anno 1554. in folio, unā cum Enarrationum medicinalium eiusdem authoris librīs v 1: in quibus plurima ex Hippocratis Galeniq; librīs diserte grauissimeq; explicitur. In earundem præfatione ad medicinæ studiosos, Compendium Galeni operum per locos communes digestorum promittit: quod utinam breui & feliciter nobis præster atque perficiat. Inter principes enim nostri seculi medicos, qui simul eruditione in utraque lingua, styli puritate, eloquentia & suauitate dicendi mirifica, rerumque medicarum ac philosophiarum cognitione matura, simul iudicij acrimonia & dexteritate, animiq; uirtutibus illis, quae ex librīs elucescere possunt, candore, modestia & alijs: his inquam omnibus coniunctis, & longo iam tempore confirmatis, qui per-

CATALOGVS SECUNDVS, SIVE

inde atque Valleriola excellant, (absit inuidia dicto) per paucos inuenio : His scriptis amicis quidam Lugduno ad me misit ternionē primum huius uoluminis iam prae subiecti apud Ant. Gryphium, Locorum medicinæ communium titulo: in quo animaduerti ipsum de loco communis proposito primum suis uerbis differere. deinde ex Hippocrate & Galeno, utroq; seorsim, seu aphorismos eodem spectantes, subiçere.

Gabriel Fallopius medicus Mutinensis, rei chirurgicæ & materiae medicæ professor celeberrimus in illustri Academia Patauina, scripsit obseruationes anatomicas, in quibus multa sane noua & paradoxa eruditissime explicantur: quas eo consilio, ut ipse præfatur, edidit, ut redarguantur illi qui aliena inuenta sibi arrogant: & qui aliorum sententijs male intellectis, aut perperam explicatis, publicè etiā aduersantur. Marcus Antonius Vlmus excudit Venetijs, anno 1561. in 8. chartis 29. Audio & integrum totius anatomes tractationem, summo studiosorum rei medicæ desiderio, ab eo expectari.

Gentilis Fulginas, medicinæ professor insignis in Italia, circa annum Domini 1310. reliquit libellum de diuisione librorum Galeni, qui Venetijs olim impressus est.

Georgius Valla Placentinus, qui claruit anno salutis 1554. Latinum fecit præ sagium experientia confirmatum, & de urinæ significatione librum ex Hippocrate.

Guilhelmus Copus Basiliensis, qui floruit Parisijs tempore Ludouici X 11. Latinitate donauit de morborum & symptomatum causis ac differētijs libros: item de locis affectis, quos postea Augustinus Gadaldinus emendauit.

Gerardus Cremonensis, quem Raphael Volateranus Sublonetam uocat, ab oppido eius natali in Cremonensi agro, transtulit Artem paruam Galeni.

Hali Rodoham (alias Heben Rodan) Aegyptij, Cōmentarij in artem paruam Galeni, impressi Venetijs cum Ioannicio, in folio, chartis 29. & dimidia. Vide in Laurentio Laurentiano infrā.

Hector Gibaltus medicus Gallus, condidit Commētarium in Galeni libros de febribus, quæ ad febrium cognitionem spectant uniuersa ferè complectentē. Gul. Rouillius impressit Lugduni anno 1561. (quo etiam author claruit Matiscone.) in 16.

Hermannus Crusierius Campensis interpretatus est Commentarium Galeni in primum & secundum libros Hippocratis de natura humana: inq; librum de salubri seu priuatorum dieta. Item introductionem de pulsibus, & de pulsu differentijs, de dignoscendis pulsibus, deq; causis pulsuum, & præcognitione ex ipsis libros x vi i. qui primum (quod sciam) Basileæ inuulgati sunt, anno Domini 1555. postea ab Aug. Gadaldino recogniti. Denique in librum Hippocratis primum de morbis uulgaribus Commentarios tres: & totidem in tertium: qui & ipsi postea Venetijs recogniti sunt.

Hieremias Brachelius oriundus ex oppido Brachen inferioris Germaniae medicinæ professor Louanijs nostro tempore, scripsit Commentarios in Galeni libros de temperamentis, & in artem paruam: quos Lugduni excusos audio.

Hieronymus Cardanus Mediolanensis philosophus & medicus nostra memoria plurimis libris editis per celebris, inter alia edidit librum Contradicentium medicorum, in duodecim tractatus diuīsum: ē quibus nos sex tantum impressos uidimus: in quibus multæ etiam Galeni Contrarietates exponuntur, &c. Scripsit etiam in Aphorismos: & forte alia quoq; Galeni & Hippoc. explicauit, quæ nondum euulgata puto: Cui uacat is legat editum ab ipso librū de libris proprijs.

Hieronymus Donzellinus medicus Brixiensis, uir utriusque linguae doctissimus, & in philosophia quoq; eximiè uersatus, de ptisana librum tr. Idem in Galeni operum editione secunda ex officina Iuntarū Venetijs, Classem secundā accurate castigauit, & Isagogicos libros plerosq; simulq; tres de facultatibus naturalibus libros.

Hieronymus Fracastorius Veronensis, summus philosophus ac medicus doctissimus, poëta etiam optimus, & qui uel cum antiquitate certare queat, inter alia reliquit de causis dierum critorum librum: in quo non à Luna, ut Galenus & alij pleriq; haec tenus omnes, sed ab ipsa nostra natura & humorū motu, eos cieri docet. Aduersus hanc pro Gal. scripsit Andreas Thurinus.

Hieronymus Gemusæus Milhusianus Heluetius, medicus ac philosophus præstantissimus, uir incomparabilis ingenio, iudicijq; dexteritate, & eruditione in utraq; lingua exercitatissimus, præfatus est in æditiones duas operum Galeni Basileæ euulgatorum, unam Græce Tomis quinque, anno Domini 1538. in qua præfatione, multa de Hippocratis & Galeni laudibus: multa etiam de artis medicæ ac totius naturalis philosophiæ laude, præstantia atque utilitate differit: tum de tribus doctrinarum siue methodi generibus: quarum omnium in suis libris ad artem medicam tradendam, exempla clarissima Galenum reliquisse ostendit. In eadem editione tomum tertium & quintum à se perfectos & emendatos testatur. Altera eius prefatio est in opera Galeni Latinè edita, anno 1542. in officina Frobeniana, ubi primum de medicinæ origine & incremētis usque ad Hippocratem uerba facit: à quibus ad Galeni usque tempora progreditur. deinde uniuersam Galeni uitam, copiosè sane & artificiosè contexit. Adiecit & Indicem eidem editioni, probè omnino & accurate à se confectum. Quòd si fata diutius hunc uirum nobis concessissent, ne-

MEDICINÆ INSTAVRAT. NOMENCLATOR.

Ient, nemo fortassis ut in arte medica, ita uniuersa philosophia illustranda, nostro seculo eum
æquare potuisset.

Hieronymus Montanus Gallus Delphinensis, Mirabelli Riuoriarum dominius scripsit libellum
de his quæ ad rationalis medici disciplinæ munus, laudes, consilia & præmia pertinent, impressum
Lugduni anno 1547. in 4. apud Michaelem Parmanterium, cum Dialexeon medicinalium libris
duobus Sebastiani Montui. Sunt autem sermones sex: Primus, de tribus medicorum sectis. II. De
disciplinis, quæ dogmaticis necessitati sunt. III. De dogmaticorum officio. IV. De dogmaticorum
excellentia. De dogmaticorum consilijs. V. De dogmaticorum stipendijs. Scripsit & Compen-
diolum curatricis scientiæ, & Syllogen de purgationib. Item iuuenia opuscula, ut ipse inscribit:
nempe Viatorem siue Itinerarium. De abditis Centurias duas. Selectorum (sunt autem aphori-
smi quidam ex authoribus selecti, de arte, de morbo & ægro, de medico) sectiones tres. De me-
dica theoreti librum primum. Quibus & sex illi sermones, De his quæ ad medicum pertinent ad-
duntur. Hæc autem omnia Io. Tarnesius excudit Lugduni anno 1556.

Horatius Limanus Italus tr. ex Galeni libris, De sophismatis in uerbo cōtingentibus librum.
Quod qualitates incorporeæ sint, An animal sit id quod in utero est, De tumoribus præter natu-
ram. Ex his quædam (uel omnia) recognita prodierunt Venetijs in secunda editione Galeni ex
officina luntarum, &c.

Hubertus Berlandus Philiatrius Germanus librum de remedijis paratu facilibus Latinum fe-
cit: quem primum, ni fallor, publicauit Cratander Basileæ anno 1536. Edidit & Velitationem
quandam in medicina.

Hugo. Vide Vgo.

Humain (aliás Humay) author Arabs, Andromachi expositoris nomine citatur à Fr. Cabal-
lo, in libro de theriaca. Gerardus Cremonensis testatur hunc scriptorem aliquot opera Hippoc. &
Galeni Commentarij suis explicasse. Hic author alio nomine, Andrea Bellunensi teste, Ioanni
eius appellatur, cuius extat introductio in Artem parvam, chartis ferè tribus impressa. Idem ex
Græca lingua in Arabicā translatisse dicitur librum inter spurios Galeni de motibus manifestis
& obscuris: quem postea Marcus Toletanus ex Arabico Latinū fecerit. Ioannicij quidē sine Hu-
main nomen citatur à Io. Mesue, & filij eius ab eodē, & in Tacuinis Elluchasem medici: & in Iesu
filij Halil libro de oculis: qui scribit Ioannicum decerpssisse flores librorū, quos composuerunt illi
qui erant tempore [C. Galeni.] Item ab Auicenna libro 2. Galeni librū (inquit Gentilis) de 46.
plantis habemus, cum cōmento Humain. Mihi de hoc nondum constat. Vide supra in fine primi
Catalogi, ad finem de libris spurijs. Ioannicum monachum authorem esse uulgatae introduc-
tionis in medicinam, Otho Brunfelsius tradit.

Iacobus Forliuensis medicus doctissimus suo seculo circa annum Domini, 1430. edidit Com-
mētarios in Aphorismos Hippocratis: item in tres libros Artis parvæ Galeni, cum questionibus
in eosdem, numero 91. Octavianus Scotus Venetijs excudit.

Jacobus Hollerius Gallus, medicus longè doctissimus, Lutetiae librum de remedijis paratu fa-
cilibus enarrauit publicè: ex cuius prælectionibus à mendis quam plurimis repurgata lo. Guinte-
rij translatio, & adnotatiunculis illustrata, impressa est Parisijs anno 1543. in 16. apud Gazellum.

Iacobi Peletarij medici pererudit, de conciliation locorum Galeni sectiones duæ, impressæ
Parisijs ab Andrea Vuelchelo; anno 1560. in 4. chartis 6.

Jacobus Sylvius Ambianus, natione Gallus, uir ut doctrina in omni literarum genere, Græcè
Latineq; excellens, ita iudicio & eloquentia summus, primus nostra memoria Hippocratis & Ga-
leni libros Lutetiarum sincerè interpretatus est: primus certam methodum docendi & discendi me-
dicinam tradidit: ex eiusq; schola, tāquam equo Traiano, innumeris subinde multis deinceps anni-
nis doctissimi medici prodierunt. Dum uiueret (objit autem suum diem, ut audio, circa annum
Domini 1554.) nullum finem laboribus imposuit, (uerbis utor familiaris illius, qui in Anatomi-
ca eius iuxta Hipp. & Galenū, quæ à morte eius statim edita sunt, nondū planè perfecta, præfaç,) aut se respexit unquā, dum ad rem literariā aliquid conferret, & suo nitorī medicinam restitueret,
Hippoc. & Galenum à calumnijs vindicaret. Sed tanquā huic uni rei natus, semper legendo euia-
dens doctior, multa semper literis committebat: quæ si limata & perfecta essent, medicina, quæ
eo cœpit à barbarie vindicari, eodem auctore suum splendorem obtineret. Hæc ille. Quan-
quam autem ex eius libris, omnes ferè aliquo modo Galeni scripta & sententias illustrant: eos ta-
men solum in præsentia enumerabo, qui magis, uelutiq; ex professo ad Galenum faciunt. Sole-
bat Lutetiae intra duos uel tres annos, uniuersum rei medicæ cursum, ut loquuntur, publicis præle-
ctionib. explicare, delectis ad hoc ipsum aliquot Galeni libris, in quos ferè omnes, scholia quedā
& marginales annotationes ab eo edita sunt, singulis nempe libris, seorsim ferè editis, adiecta per
margines: ut sunt, Commentarius in Hippocratis librum de nat. humana. De temperamentis li-
bri tres, & de inæquali intemperie unus. In eosdem quatuor Isagogen addidit. De naturalibus
facultatibus libri tres, in quas & Epitomen dedit tabulis expressam. Introductio in pulsus. De
pulsuum usu. De motu muscularum libri 2. De usu partium libri 17. quibus & Isagogen adiecit.
& eosdem

CATALOGVS SECUNDVS, SIVE

& eosdem magna cura ad Græcum exemplar recognouit. De alimentorū facultatibus libri tres. De attenuante uictus ratione libellus. Hī quidē sunt libri, quos scholijs illustravit. Scripsit præterea Methodum sex librorum Galenī, de differentijs & causis morborum & symptomatum, in tabulas sex ordine suo coniunctam paulò fusiū. chartæ sunt sex. Ordinem eiusq; rationem in legendis Hippocratis, ac Galenī librīs. Commentarium in duos libros Galeni de differentijs febrīum. Item Commentarium proprium de febrībus, (hoc est, febrīum essentia, differentijs, causis, symptomatis & curatione, tum in genere, tum particulatim,) qui Parisijs excusus est anno 1554. in parvo folio apud Petrum Drouart, chartis 23. Excerpsimus autem (inquit in præfatione) Commentarium hunc præcipue ex Hippocratis diæta acutorum, aphorismis, prognosticis, prorrheticis: etiā si hæc ubiq; Hippocratica non sunt: uti nec Epidemīa. Nam horū primus & tertius maximè Hippocratis sunt, &c. Ex his tamē, & scriptis à Galeno in eos Commentarijs, quæ hanc ad rem pertinere magis uidebantur, transcripsimus. Addidimus uero febrilis naturæ partem maximam, ex Galenī librīs duobus de differentijs febrīum. In quibus etiam causas, & signa, & interdum curationem attingit. Plenius autem hæc præstat libro priore ad Glauconem, & libro 2. Criseon, & librīs Methodi 8. 9. 10. 11. 12. Non pauca etiam eodem pertinentia ex Galenī librīs de temporibus morborum uniuersalibus, & particularibus, de typo, de causis proctarcticis. Excusus est etiam Commentarius eius de signis omnibus medicis, hoc est, salubribus, insalubribus & neutrīs, in tabulas coniectus, ex Hippocratis & Galenī præcipue librīs, chartis 27. qui aliqua ex parte ad explicationem Artis medicinalis Galenī spectat. Item Methodus medicamenta componendi ex simplicibus iudicio summo delectis, & arte certa paratis, quatuor librīs distributa, ex Dioscoride, Galeno & alijs, medicis & pharmacopolis necessaria. Et de medicamentorum simplicium delectu, præparationibus, ac mistionis modo libri tres, in quibus multa explicat à Mesuæo post Dioscoridem & Galenum obseruata, quod ad delectum simul & præparationem, & composita (quæ libro 3. recenset) usitata hodie pharmaca. Quin & ipsi Io. Mesuei de remedica librī tres, (hoc est canones purgationum, simplicium purgantium descriptiones, & antidotarium, ut uocant,) ab ipso Latinitate donati, & annotationum correllarijs illustrati sunt. Morborum internorum propè omnium curatio certa methodo comprehensa, ex Galeno præcipue & M. Gatinaria. Vesani cuiusdam in Hippocratis Galenīq; rem anatomicam columniarum depulsio. Qui in Isagogen anatomicam Iac. Syluij, à morte eius editam præfatur typographus Parisiensis, aut eius nomine uir doctus quidam, promittit etiam Cōmentarios eius in libros de usu partium, & in libros de facultatibus medicamentorū simplicium, breui edendos: quorum tamen haec tenus nihil publicatum esse puto.

Ianus Antoniacus. Vide statim Janus Antoniacus.

Ianus Antoniacus (uel potius Autoniacus, per n. elementum xiij. Ammianus hoc opipidum, quod uulgò Andernacum dicitur, Autennacum uocat,) idem qui Io. Andernacus. Vide inferius in Io. Guinterio.

Ianus Cornarius Zuiccauiensis Germanus medicus physicus, uir doctissimus, & de utraq; lingua, Græca inquā & Latina, & uniuersa re medica optimè meritus, unus omnium (quod sciam) plurima è Græcis in diuerso scriptorum genere Latina fecit: sed cæteris omisssis, ea solùm quæ in Galeno præstítit, referamus. Obiit ante paucos annos: (nam translatum ab eo Platonem & Eclipsis illustratum, à morte eius Achates filius, medicus etiam ipse excellens, edidit hoc anno 1561. Basileæ ex officina Frobeniana:) & paulò post eum, ut audīo, etiam Andreas Lacuna Hispanus, qui certe siue ambitione, ut coniçio, siue aliam ob causam, iniquior in Cornarium fuit. In Galenī nostrī librīs tum plurimis uertendis, tum recognoscendis quos alij transtulerant, nemo omnium Cornario facile præferetur. nam plurimos ab eo uno translatos esse, ex sequenti enumeratione apparebit: Recognouit autem non unum, uel paucos ab alijs translatorū, sed omnes omnino aliorum translationes editionis Frobeniane, quæ inuulgata est Basileæ anno 1549. collatos ad Græcum codicem suum, quem sibi familiarem & plerisque in locis, diuersis lectionibus illustratum habuit. in nonnullis quidem tantum se laborasse scribit, ut facilius ei de nouo interpretari fuisset. Adde quod in libros de compositione medicamentorum secundum locos, Cōmentarium adiecit, quo copiosius eruditiusq; & magis uarie lectionis in utraque lingua, nihil dum inueni, in numero quidem Cōmentariorum in Galenī librīs editorum. Nunc quī librī Galenici ab eo conuersi sint, ipsius uerbis, ex præfatione in proximè dictam Galenī operum editionem, recitabo: Primum omnium (inquit) decem illos libros de compositione medicamentorum secundum locos, olim ex mea uersione per se editos, & Cōmentarijs meis medicis illustratos, in hanc editionem reposui: & illam mihi quidem adscriptam, sed à quodā (Nicolaum Macchellum notat, qui hanc Cornarij translationē, ad ueterum Græcorum codicū fidem se castigasse professus est) non sati ad hanc rem iudicandā præstante, castigando depravatam, & in priore totius Galenī editione excusam reieci. Deinde libros illos, ob argumenti uicinitatē olim à me coniunctim editos, nimirum de ueteri dissectione unum de foetu formatione unum, de semine duos, ex mea trāslatio ne in serui. Librum item de utilitate respirationis, cum altero de respirationis causis, & tribus illis de respi-